



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. D. Magistri Petri Lombardi Novariensis Episcopi  
Parisiensis. Sententiarvm Libri IV. quibus vniuersæ  
Theologiæ summa continetur**

**Petrus <Lombardus>**

**Mogvntiæ, 1632**

De duobus manducandi modis. A

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38829**



*Psalm. 22.*

*1. Cor. 10. d.  
\* De sacra-  
mentis fide-  
lium.*

*De consec.  
distinct. 2. c.  
quia passus  
paragra. do-  
minus no-  
ster.  
Ephes. 4. a  
Gloss. ord. 1.  
Cor. 1. ad  
illud, Acci-  
pite & man-  
ducate.*

*Aug. tract.  
27. ad finem  
ea 6. Ioan.  
Tomo 9. ha-  
betur de cō-  
sac. dist. 2. c.  
Quid est  
Christum.*

atque rem significat, & utriusque rei similitudinem gerit expressam. Nam sicut panis præ cæteris cibis corpus reficit & sustentat, & vinum hominem lætificat atque inebriat: sic caro Christi interiorem hominem plus cæteris, gratiis spiritualiter reficit & saginat. Unde Calix meus inebrians, quam præclarus est. Habet etiam similitudinem cum re mystica, quæ est vnitas fidelium: quia sicut ex multis granis conficitur vnus panis, & ex pluribus acinis vinum in vnum confluit: sic ex multis fidelium personis vnitas Ecclesiastica constat. Unde Apostolus, Vnus panis & vnum corpus multi sumus, &c. Unde Aug. Vnus panis & vnum corpus Ecclesia dicitur, pro eo, quod sicut vnus panis ex multis granis, & vnus corpus ex multis membris componitur: sic Ecclesia ex multis fidelibus charitate copulante constituitur. Hoc mysterium pacis & vnitatis nostræ Christus in sua mensa consecrauit: qui accipit hoc mysterium vnitatis, & non tenet vinculum pacis, non accipit hoc mysterium pro se, sed contra se. Cuius etiam sacramentum est corpus Christi proprium de virgine sumptum: quia vt corpus Christi ex multis membris purissimis, & immaculatis constat, ita societas Ecclesiastica ex multis personis à criminali macula liberis constitit. In cuius rei typo facta est arca Domini de lignis sethim: quæ sunt imputribilia, & albæ spinæ similia.

DE DVOBVVS MODIS MANDVCANDI  
DISTINCT. IX. A

ET sicut duæ sunt res illius sacramenti, ita etiam duo modi manducandi. Vnus sacramentalis, sc. quo boni & mali edunt: alter spiritualis quo soli boni manducant. Unde Aug. Quid est Christum manducare? non est hoc solum in sacramento corpus eius accipere: multi enim indigne accipiunt: sed in ipso manere, & habere ipsum in se manentem. Spiritualiter n. manducat, qui in vnitatem Christi & Ecclesiam



celestis quam sacramentum significat manet. Nam  
 qui discordat à Christo, nec carnem Christi man-  
 ducat, nec sanguinem bibit: etsi tantæ rei sacra-  
 mentum ad iudicium sui quotidie accipiat. Spiri-  
 tualem manducationem Aug. distinguens à sacra-  
 mentali ait, Vt quid paras ventrè & dentem? cre-  
 de, & manducaſti. Credere enim in eum, hoc est,  
 comedere panem & vinum. Qui credit in eum,  
 manducat eum. Item, Quomodo manducandus  
 est Christus? Quomodo ipse dicit, Qui manducat  
 carnem meam, & bibit sanguinem meum, in me  
 manet, & ego in eo? Si in me manet & ego in eo,  
 tunc bibit: qui vero non in me manet, nec ego in  
 illo: & si accipit sacramentum, acquirit magnum  
 tormentum. Itē, Nulli ambigendum est tunc quē-  
 quam corporis & sanguinis Dñi participem heri,  
 quando Christi membrum efficitur: nec alienari  
 ab illius panis calicisq; consortio, etiamsi antequā  
 illum panem edat & calicem bibat, de hoc seculo  
 in vnitatem corporis Christi constitutus abscedat:  
 quia illius sacramenti beneficio non priuatur, quā-  
 do ille habere hoc, quod illud sacramentum signi-  
 ficat inuenitur. In illo enim sacramento corpus &  
 sanguinem suum nobis commendauit, quod & fe-  
 cit nos ipsos. Nam & nos corpus ipsius facti sumus.  
 Item, Qui discordat à Christo non manducat car-  
 nem eius, nec sanguinem bibit: etsi tantæ rei sacra-  
 mentum ad iudicium sibi quotidie accipit.

*Ad illud e.*  
*Ioan. Qui*  
*manducat.*  
*Tract. 25. ad*  
*ca. 6. Ioan.*  
*hoc est opus*  
*Dei. Pascha*  
*sus ca. 6. de*  
*corpore do.*  
*Aug. in lib.*  
*de medio*  
*pœnitentia*  
*de cons. dist.*  
*2. cap. quō.*  
*Ioan. 6.*

*Prosp. lib.*  
*sententiarū*  
*Ex August.*  
*cap. 339.*

*De errore quorundam qui dicunt à bonis tantum corpus*

*Christi sumi.*

**B**

Hæc verba & alia huiusmodi, vbi de spirituali  
 manducatione agitur, quidam obtuso corde legē-  
 tes, erroris caligine inuoluti sūt adeo, vt præsump-  
 ferint dicere corpus & sanguinem Christi à bonis  
 tantū sumi & nō à malis. Sed indubitāter tenendū  
 est, à bonis sumi, non modo sacramentaliter, sed &  
 spiritualiter. A malis vero tantū sacramentaliter,  
 id est,

id est,